

1464. ie 17. maj. Ex ms. Arch. Cap. Plocensj

219

Privilegium Stiborij Episcopi Venditionis Duorum mansorum advocatie in Lukowo, per Stanislaum Lukowski, Cristino de Lukowo pro viginti sexagenis de consensu Cristini de Ferwicze Canonici Plocensis possessoris villa prefate.

In Nomine Domini Amen Stiborius Dei et Apostolicae Sedis Gratia Episcopus Plocensis, Significamus tenore presentium quibus expedit. Universis, quomodo in nostri presentia personaliter constitutus providus Stanislaus Lukowski Oppidanus de Zakroczym advocatus in Lukowo Villa mense nostre Episcopalis in Districtu Czirvenensi sita sanus mente et corpore sua pura ac libera voluntate matura intra se deliberatione prehabita, amicorumque suorum fretus consilio, totam suam advocaciam, sive Sultetiam in Lukow predicta duorum mansorum nobili Cristino de Lukowo pro viginti sexagenis mediorum grossorum numeri polonialis venditam, cum omnibus ejus agris, pratis, rubetis, fructibus redditibus, proventibus, et utilitatibus generaliter universis in dicta advocatie Originali Privilegio descriptis prout solus tenuit, habuit et possedit, nihil juris et proprietatis pro se et suis successoribus in eadem reservando perpetuo resignavit. Nos itaq; ad petitionem iustam et rationi consonam predictorum vendentis et eminentis presentis

sente

presente et consiente honorabili Cristino de Lyrnicze rectore Ecclesie Parochialis in Lukowo predicta Canonico Plocensi mensali dicte Ville ratione predicti sui Canoniceus ad vitam Possessore hujusmodi resignationem admisimus approbavimus, et ratificavimus, approbamusq; admittimus et ratificamus, Decernē eas robur obtinere perpetue firmitatis omne jus quoddicte Stanislao in dicta Scultecia competebat in ipsum Christinum transfundentes, licebit ergo dicto Cristino advocato et ejus Successoribus legitimis predictam Scultetiam tenere habere, ac pacifice et quiete perpetuis temporibus possidere, nec non vendere donare et obligare, illi tamen vel illis, in quem vel in quos nos consenserimus aut nostri consenserint successores. In cujus rei testimonium sigillum nostrum presentibus est appensum. Actum et Datum in Junyeuz die Decima Septima mensis Maji. Anno Domini Millesimo Quadringentesimo Sexagesimo Quarto. Presentibus ibidem Venerabili et Honorabilibus, nobilibusq; viris Paulo de Jolynyno Decretorum Doctore Preposito Polthovien, Petro Luba de Radzymino Cancellario Episcopali, et Paulo de Orlow Canonicis Plocensibus, Stanislaoq; de Junyevo Procuratore in Junyeuz et Dobeslao de Małoclancky, Laicis testibus ad premissa, et alijs quam plurimis fide dignis.